

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P. P. ...
Ad festum Gloriosae Christi Resurrectionis, devote celebrandum Omnes
Academiae cives serio hortatur : [Dabam sub Sigill. Rect. ipso die Paschae Anno
1667.]**

Rostochii: Kilius, [1667]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733986048>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—

1667. Ostern

~~A-1256.7.~~

1667:18
Ost.

RECTOR.

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RU-
DOLPHUS Redeker/

J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis
Mechl. Consil. Consistorii Ducalis
Assessor, & Facult. Jur.

DECANUS,

Ad festum

GLORIOSÆ CHRISTI
RESURRE-
CTIONIS,

devotè celebrandum

Omnes Academiae cives
seriò hortatur.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

M. 1256⁷



Salutem!



Actenus, per tempus, quod quadragesimale vocatur, qui Christum Jesum, Servatorem & Salvatorem, generis humani, non ore tantum, sed devotissimo etiam, corde profitentur, eumque simul verum Deum & verum hominem, ex revelato verbo divino, adorant, luctu repleti & lugubri veste induti, ut seriam poenitentiam eo impensius contestarentur, steterunt ad crucem ejus, & sub onere peccatorum, quo Salvatore suo simul ineffabiles intulere plagas, gemiscentes, contemplati sunt, quam misere Rex Regum, & Dominus dominantium à degenero suo discipulo Judá, quem auri sacra fames corruerat, proderetur; Judaeorum, gentis suae alias selectae, odii & furore caperetur; à sceleratissimis mortalium vinceretur; in jus, qui justissimus fuit, & quem nec minima unquam labes maculavit, raperetur; falsissimis & conjuratis à calumniatoribus, quasi divinae simul & humanae majestatis reus esset, accusaretur; à Pontio Pilato, cui probissima conjux innocentiam captivi Dei, quod dictu notandum, & exemplo raro

raro auditū ex insomniis revelarat, damnaretur; acutis-
simis virgis spinisq; caderetur, impurissimo impurissi-
morum mortalium sputo conspueretur; à calonib &
amphybajarū collegiis irrideretur, sannisq; exciperetur;
in crucem, latrones inter medios, tolleretur; & horren-
dum in morem lanceā perforatus occideretur. Erat is,
quem Patriarchæ in spiritu prævidebant, & in cuius sa-
lute suam salutem repositam credebant; Judæis, qui
terrenum volebant Messiam, scandalum, Gentilibus
vero, ut qui, verum Deum hominē factum, & extremē
exinanitum, ignorabant, stultitia: adeoq; etiā ejus disci-
pulos nullo de crimine convictos, tantum quia publice
exosi erant, dirissimis affecere pœnis; Labet hic recen-
sere verba Historici Romani, qui omnes apud singula-
rem laudem & gratiam meretur, quiq; sine irā & studio,
quorum causas procul habet, adeoque sine libidine as-
sentandi, & sine odio adversus dominantes omnia se
tradidisse fatetur; Ergo, inquit, *abolendo rumori Nero sub-*
didit reos, & questissimis pœnis affecit, quos per flagitia invi-
sos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus
Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium
Pilatum supplicio affectus erat. Repressaq; in præsens exitia-
bilis superstitio, rursus erumpebat, non modo per Judæam ori-
ginem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undiq; atro-
cia aut pudenda confluunt, celebranturq;. Igitur primo corre-
pti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens,
haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis
convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum ter-
gis coniecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut
flammandi, atq; ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis
uterentur. Erat enim gentilib⁹ stultitia, virginē sine virili
semine genuisse; erat ipsius stultitia, Deū creatorē cœli &

terræ, qui fuit ante secula, in seculo ex homine natū, carnemq; humanam assumisse, erat ipsis stultitia, Deum hominem semet ipsum non coactè sed voluntariè ita exinanisse, ut pro genere humano pateretur persecuciones, insidias, vincula, verbera, vulnera, scommata, ludibria, corporis simul & animi dolores, atq; denique mortem ipsam. Sed hæc omnia verissima esse, vera Christi Ecclesia credit & fatetur. Triste enim hoc fuit spectaculum, quo nulla ætas nec tristius vidit, nec videbit unquam. Crudele fuit hoc exemplum, quod lacrymosus deslevit pietas. Hinc personarunt hactenus rempla piorū suspiriis, gemitu & doloribus ob repetitā memoriū expirantis in cruce innocentissimi servatoris. Resonarunt conciones truculentis vocibus exclamantis Judæi, crucifige! crucifige! ad quas sol ipse obscuratus est; & terra, omnium rerum mater, cum videret creatorem suum indignissima morte perire, contremuit, dissilierunt saxa, quæ in maximam duritiem ipse compegerat; Ridebatur in cruce, à pluribus; Centurio autē, cū altero latrone, ipsum verū filium Dei profitebantur. Sed hodiè vicit Leo de tribu Juda, hodiè resurrexit ex sepulcro, qui mortem & infernum superavit Triumphator magnificus; hodiè redempta Christianorum cohors omnes lacrymas abstergit, omnem luctum deponit, omnemq; lugubrem habitum abijcit, & ceu sponsa elegantissime comita suū amplectitur sponsum. Uti enim victori & Triumphatori heroi qui rempbl. quandam ab insultibus hostium liberavit, omnis occurrit populus, ut contestetur communem lætitiā, & simul gratias agat debitas liberatori suo; ita omnes hodiè Christiani Christo incomparabili heroi, qui totum genus humanum ab insidiis Satanæ, qui tanquam

quam Leo rugiens circumit, ut quem retibus suis implicare possit inveniatur, liberavit, devotissimo pectore occurrunt. Hic enim sua morte mortem ipsam debellavit, quæ in omnem carnem regnū & dominatū obtinebat. Hic expugnavit infernum, qui expansis faucibus omnes homines absorbere volebat. Hic infernales Spiritus catenis alligavit, ne noceant. Hic est, in quem robur omne, præsidium ac firmamentum nostrū reposita sunt. Hic est, qui perditam oviculam ex unguibus infernalis lupi evulsit. Hic est, qui ipsam captivitatem captivam duxit, & nos tanquam mancipia Satanae ab exitiabili servitute liberavit. Stupendum fuit fortitudinis exemplum, & magna victoria, quam à Philistæis Dux Simson reportavit, verum nullo modo cum hac victoria, quam Salvator mundi obtinuit, comparanda, hic enim vicit mundum & Principem mundi, hic vicit mortem & peccatum; adeoq; vaticinium Prophetæ Osee c. 13. *de manu inferni redimam eos: de morte liberabo eos: ero pestilentia tua, o mors: ero lues tua, o inferne*, quod Apostolus I. Cor. 15. non quidem verbis iisdem, sententiā tamen vaticinio illi omnibus numeris convenienti, respicit: *fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria?* plenissime implevit, quando hoc ipso die infinita sua potentia, & potentissima sua majestate, vincula mortis, & catenas inferni evasit. Hic proinde dies, præ reliquis, Christianis omnibus sacer est, & divina colendus lætitia, ubi boni omnes sonora & pariter júbila exclamant voce:

Jam Pascha nostrum Christus est,

Paschalis idem victima.

Magnum erat & memorabile factum, quod omnem
huma-

humanam superabat opinionem, quando David, postea Rex populi Judaici, & Propheta Altissimi factus, cum juvenis, & gregis Paterni pastor esset, se suapse sponte obtulit, & cum Goliathe robustissimo philistinorum gigante, quem omnis gens Israelitarum, quoniam sex cubitorum & palmi altitudinis, loricae autem ejus pondus quinque millium siclorum aëris, erat, & ferrum hastae ejus, liciatorii textentium instar, sexcentos siclos ferri habebat, nimium quantum metuebat, descendit in duellum, victoriamque, simul & spolia ampla tulit: Adeoque cum ferret caput occisi philistae in Jerusalem, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, choreasque ducentes, in tympanis lætitiæ & in sistris, & præcinebant ludentes: *Percussit Saul mille & David decem millia*: Ast longè acerbius fuit illud duellum, longe major etiam victoria & amplior triumphus, quem ante secula aliquot Jesus Christus fortissime sustinuit & reportavit. *Hic enim, dicente Apostolo, cum esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam, se aequalem esse Deo, sed se ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & nomen illi, supra omne nomen donavit, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Deus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Duo fuere in Davide, duo etiam in Christo vitæ tempora. Unum humilitatis, alterum Majestatis. Unum ignomiæ & contemptus, alterum gloriæ ac potentiae. Unum fordidae servitutis, alterum inestimabilissimæ libertatis & magnificentiae. Unum cruenti certaminis, alterum stupendæ victoriæ, quam nec homo, nec ho-

nec hominis ratio capit. Uti autem David populum
Israeliticum liberavit & á truculentissimo Philistinorū
Duce Goliathe, qui exprobravit agminibus Israel, pro-
vocavitque in contumeliam gentis virum, qui singula-
re secum iniret certamen, victoriam indeptus est: Ita
Christ⁹, cum Sathanâ, peccato & morte certamen sub-
iit acerbum, victoriamque, trophæa & triumphos di-
vino suo obtinuit brachio. Et quemadmodum ex vi-
ctorioso certamine Davidis, securitas, libertas, gaudi-
um & victoria devenit ad populum Israelis: Ita ex re-
surrectione Christi, totus mundus libertatem, gaudi-
um & victoriam consecutus est. Fructus ex certamine
& victoriâ Davidis proveniens erat particularis, & ho-
stes duntaxat terreni erant debellati: Fructus autem
ex bello & triumpho Salvatoris nostri profluens, est uni-
versalis, quâ totum genus humanum respicit, profliga-
vit autem ipsum Sathanam cum toto suo agmine, clau-
stra & munimenta infernalis arcis expugnavit, pecca-
tum pessundedit, & morti stimulum excussit. Hinc
certi sumus pro omnibus nostris peccatis plenissimè es-
se satisfactum; Diaboli, & totius phalangis diabolicæ,
potentiam quassatam & enervatam; ipsi morti aculeum
venenatum ademptum; hinc victor hic triumphans ex-
clamat: *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, et-
iam si mortuus fuerit, vivet!* Ille est resurrectio, quia di-
vina sua potentia, non autem aliâ extrinsecus acceden-
te causâ, corpus suum in terra sepultum resuscitavit; se-
pulcrum arctissimè munitum fregit; se aspiciendum &
tangendum, ossaque sua contrectanda discipulis suis ex-
hibuit, nobisque omnibus spem indubiam fecit, quod,
licet animus á corpore nostro discedat, illud tamen in
putredine manere haud debeat, quin potius resuscite-
tur

tur, & conforme Christi corpori reddatur. i. Cor. 15.
suã enim resurrectione, Apostolo Petro teste, regene-
ravit nos in spem vivam, & in hereditatem incorrupti-
bilem, incontaminatam, & immarcescibilem. Sub hac
autem divinã gratia, non tantum hæc vel illa gens con-
tinetur, aut sibi præcipui quicquam tribuere potest, sed
omnes in universum homines, qui meritum & victori-
am Christi redemptoris sibi in verã fide applicant,
credenti autem in eum, scribit Paulus ad Romanos, *qui*
justificat Impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secun-
dum propositum gratie, quia traditus est propter delicta no-
stra, unde injuriosus & blasphemus est in Deum, qui
mole peccatorum obrutus desperat; resurrexit autem
propter justificationem nostram ut nos ex morte resuscitet.
Nos itaq; devotis precib; Christo victori ac Triumphatori opti-
mo maximo, & potentissimo, qui omnes titulos atq; encomia
humana superat, occinamus. Dominus est fortis
& potens! Dextera Domini fecit vir-
tutem, dextera Domini exaltavit
me, dextera Domini fecit
virtutem!

Dabam sub Sigill. Rect. ipso die Pascha
Anno 1667.



nec hominis ratio capit. Uti autem
 Israeliticum liberavit & á truculentis
 Duce Goliathe, qui exprobravit agn
 vocavitque in contumeliam gentis v
 re secum iniret certamen, victoriam i
 Christ^o, cum Sathanâ, peccato & mo
 iit acerbum, victoriamque, trophæa
 vino suo obtinuit brachio. Et quer
 torioso certamine Davidis, securitas
 um & victoria devenit ad populum I
 surrectione Christi, totus mundus li
 um & victoriam consecutus est. Fru
 & victoriâ Davidis proveniens erat p
 ftes duntaxat terreni erant debellati:
 ex bello & triumpho Salvatoris nostri
 versalis, quâ totum genus humanum
 vit autem ipsum Sathanam cum toto
 fra & munimenta infernalis arcis ex
 tum pessundedit, & morti stimulum
 certi sumus pro omnibus nostris pecc
 se satisfactum; Diaboli, & totius ph
 potentiam quassatam & enervatam; i
 venenatum ademtum; hinc victorhi
 clamat: *Ego sum resurrectio & vita:
 iam si mortuus fuerit, vivet!* Ille est res
 vina sua potentia, non autem aliâ ext
 te causâ, corpus suum in terra sepultu
 pulcrum arctissimè munitum fregit;
 tangendum, ossaque sua contrectand
 hibuit, nobisque omnibus spem indu
 licet animus á corpore nostro disceda
 putredine manere haud debeat, quia



alum.
 tinorū
 l,pro
 regula
 Ita
 n sub
 os di
 ex vi
 gaudi
 ex re
 gaudi
 amine
 & ho
 atem
 st uni
 offiga
 clau
 pecca
 Hinc
 mē ef
 olica,
 leum
 ns ex
 me, et
 via di
 eden
 vit; se
 am &
 nis ex
 quod,
 ten in
 scite
 tur